

SECTIO I.  
ANATOMICA,  
DE  
SITU ET STRUCTURA  
VENAE PORTAE.

**D**E nomine *Venae portae* non quidem admodum necessarium esset, prolixum esse; interim neque nocuerit, verbum de eo praefari.

HIPPOCRATES de Anatome: *In iecore*, inquit, duas esse ὑπεγκορυφώσεις seu eminentias, αἷς καλέεσσι πύλας, quas portas vocat; unde & GALENVS, de usu partium Lib. IV. Cap. 2. inquit, virum quendam antiquum, Naturae sine dubio peritum, *portae* adpellationem indidisse; & VESALIVS, de Fabrica corporis humani, e GALENO veterum quempiam operum Naturae peritum, ante HIPPOCRATEM, nomen *portarum* imposuisse. Allegans adhuc semel hanc opinionem GALENI, e Lib. VI. de Placit. Hippocr. & Platon.

Accedunt his alii Anatomici, & in specie quidem RIOLANVS, *Enchiridii Anatom. Lib. II. Cap. 20.* ubi hiatus in cava parte hepatis *portam* vocari, & venam nostram Venam *ad portas*, notat. COLUMBVS, verbo; LAVRENTIVS & VESLINGIVS vix hoc ipso, mentionem eius faciunt.

Interim, ut hi omnes, & qui ipsos alias sequuntur, *portam* venam inde dictam esse suspicantur, quod per illam, quasi per primum ostium, chylus in sanguinem, imo secundum antiquiores in *hepar*, ut ibi convertatur in sanguinem, ingrediatur: ita exquisitiore paulo fundamento niti videtur CASAVBONVS, in *Not. ad Capitolin.*  
qui